

giffimo illo Orientali itinere , ob calorem
solis inibi immensum ac intolerabilem ;
quandoquidem bis æquatorem subire na-
ves coguntur , antequam Europæis famoso
illo Théé potiri liceat.

DE HERBA NICOTIA-
NA, SEU, DE
T A B A C O,
ANACRISIS.

SECTIO I.

Nominis Significatum & Originem,
Differentias , & Sophisticationem Herbæ
Nicotianæ evolvit.

§. I.

Postquam specialibus hucusque Tracta-
tionibus & Sectionibus , de Caffé , Cho-
colatâ , atque herba Théé egiffemus , nec
non monstraffemus , quanta bona ex legi-
timo eorum usu , firmæ aut sinistrae valetu-
dini superaddantur , & quomodo ab iis-
dem disconvenienter adhibitis , aut ab eo-
rum periculoso abusu , vitæ diutius protra-
hendæ obices obtrudantur : restat nunc ,
ut tandem ipsius decantati , usitatique inter

Europæos herbæ Nicotianæ , vulgò Tabaci dicta , naturam , usum , simul & abusum , compendiosè strictiori scrutinio subjiciamus. Ast nè æquivocis obscuretur oratio , de nomine primo loco agendum est , Marcò Tullio Cicerone teste : & nè sub obscuro nomine militemus , aut incerta sub tessera in arenam descendamus , operæ pretium erit , pauca quædam de ipso argumento insinuare.

Herba itaque , quam vulgò Tabacum dicimus , proprio apud Indigenas Americanos vocabulo *picielt* vocatur , ut ait *Monardes*. In Hispaniola *pete de cenue* dicitur , teste *Oviedo* ; à novæ Franciæ Barbaris , sub *Peti* nomine celebratur. *Nicotiana* appellata est à Joanne *Nicotio* , Regis Galliarum Legato in Lusitania , anno 1559. qui primus hanc plantam Gallijs transmisit Regina , hinc *herba Regina* , & quod illa ab Hetruriæ Magnis Ducibus profapiam duceret , *herba Mexicana* est facta , *herbæque Legati* ab eo , qui transmiserat Legato : *Magni Prioris herba* multis in Galliæ locis , Romæ *herba Sanctæ Crucis* aliquamdiu dicta fuit , quod plurimam horti partem , Magnus Galliæ Prior illi devovisset , & Cardinalis à Sancta Cruce , Nuncius in Hispania Lusitanica Apostolicus , inde transtulisset Romam , ut olim illius Cardinalis majores , lignum *Sanctæ*

Æa Crucis Romam detulerant. Multis *Herba sacra*, *Herba sancta*, *Herba divina* vocatur, ob divinos mirandosque effectus.

Sed omitto alias adhuc appellationes minus notas, uti Virgineis dicitur *Uppuvoc*. Hispaniolis, *Cozzoba*. Cæfalpino, *Tornabona* ab Alphonfo Tornabono Antiftide Burgenfis. Camerario, *Consolida Indica*. Dodonæo, *Hyofcyamus Peruvianus*. Primus autem in Galliam femen detulit *Thevetus*: in Lufitaniam, Hispaniamque mifit D. D. *Francifcus Hernandes de Toledo*. In Angliam ex Virginea detulit Tabaci femen *Francifcus Draeck*, Angliæ Archinauta, & ifti omnes aliquam nominis mentionem fecerunt de Tabaco. Ijs ergò nominibus vel obfoletis, aut minus tritis, *Tabacum* generaliort confenfu appellatur, quod nomen illi ab Hispanis inditum à fuo natali folo, Infula fcilicet *Tabago* feu *Tabafco*, hujus herbæ feraciffima, hoc enim nomen, quia toti Europæ notum, magis etiam aridet.

§. II. *Tabacum* feu *herba Nicotiana* à plerifque A. A. in duas communiter partitur fpecies. Primo enim dicitur *Nicotiana major latifolia*, aliàs *Hyofcyamus Peruvianus*. 2dò vocatur *Nicotiana minor* feu *Hyofcyamus luteus*; utræque enim funt de profapia *Hyofcyami*, & ad ejus fpeciem re-

ferendæ , sicut & instar Hyoscyami vim habet narcoticam & stupefactivam. Est autem *Tabacum* plantæ genus , folia habens numerosa , plus minus ampla , longaque , succo plenissima , subhirsuta unà cum colore viridi minus saturo , texturâque parùm fibrosâ , venis raris sed grandibus ; summis in ramis flores gestat numerosos ex albo purpurascentes , & luteos , odorem non ingratum spirantes. Excisis floribus succedit caput conoideum , exiguæ tamen areæ , ibique generatur semen minutissimum , cui color est ex ruffo fuscus seu nigricans , cùm maturaverit , & magnitudine papaveris semen æquat , sapore haut absimili , ejus verò radix crassa est & multifida , atque lignosa , intus plerumque crocea & amara , quæ faciliè cortice suo exuitur. Nascitur ultronea naturæ vi in America , solo non ita compacto & leviori , umbrosisque locis gaudet ; In Indijs , ubi potentioribus solis radijs expositum , flaccesceret ; Ast in Europa , ubi mitiùs est cælum , præter diligentiore culturam , locus requiritur fœcundus , & qui solis meridiani radios excipiat , neque ventis furiosis septentrionalibus sit expositus : Vid. *Neand Tabacolog. & J. Chryf. Magn.* in suis exercit. de Tabaco.

§. III. Ita autem invaluit , in multifarijs Europæ regionibus , ex diligenti ejus incola-

larum industria & cultura *herba Nicotiana*
 plantatio & usus , ut non amplius ferè A-
 mericanis indigena esse videatur , licet ejus
 origo illinc derivetur : variæ quidem hinc
 inde reperiuntur in orbe Tabaci species ,
 quæ non tantùm in diversis Americæ alijs-
 que Indiarum Provincijs (à quibus varia
 sortitur nomina Tabacum , nimirum Virgi-
 niense , Brasiliense , Floridanum &c.) verùm
 etiam nunc in multis Europæ plagis plan-
 tantur , quod Anglia , Hollandia , Hispania ,
 Italia , aliæque Europæ partes abundè atte-
 stantur , & præcipuè quidem nostra Ger-
 mania , quæ tantæ progignit bonitatis Ta-
 bacum , ut cæteris ferè cunctis speciebus
 exoticis , parùm aut nihil in sua cedat præ-
 stantia ; hoc enim ipsum circa Hanoviam ,
 Argentinam , Bremam &c. fertiles demon-
 strant agri. *Joan. Neand.* pag. 241. ait ,
 optimum quidem Tabaci genus aliàs esse
 Virginienſe & Brasiliense ; *at sicubi* , inquit ,
evanda est Tabaci virtus ob senium.
mercatores , ne lucro defraudentur , ita
restituunt : & muria Limonum , aceti
vin ana lib. 15. syrupi conveni. fol. tabac.
dissol. unc. iij. coquantur ad dimidiàs ; in
colaturam calentem , & fervori proxi-
mam , Tabacum immitte , ut mox con-
glomeretur : fit enim ita , ut diu conser-
vetur.

Ast sanè ex his videre est, quàm parùm sincerum sit Tabacum, quod ex Indijs ad nos defertur, magisque expedire uti nostro, in nostris hortis sato, huic enim possumus magis securè fidere: Indico autem, vario modo sophisticato, mille res inesse admixtas suspicari possumus, salem nempe, zz. vinum, piper, muriam Limonum, acetum, euphorbium &c. quæ vires ejus vel minuunt, vel planè corrumpunt; nulla enim vis, quæ evanuit, restitui potest, nisi virtute pari inductâ. Sic succo Tabaci reparari potest aliquatenus exhaustum folium, secùs agrè admodum. Cæterùm in genere herbæ Nicotianæ bonitas, præsertim nostratis dignoscitur, si colorem repræsentet subfuscum ac castaneum, spiretque odorem volatilem acrem non ingratum, ac fœno recenti haud absimilem: quomodo verò plantetur, qualisque in his regionibus ejus sit cultura, D. *Thebesius* Cap. I. pag. 9. & *Joan. Chryf. Magn. in 1. Exerc. de Tab.* fusè tractarunt. Ubique interea gentium, in Europa præsertim & America, tanta cum Tabaco exercetur mercatura, ut etiam Ordines Hollandiæ ultra 3000. florenorum annuè, è modico vectigali, Tabacarijs officinis imposto, colligant. Sic pariter in Anglia, Italia, Gallia, alijsque Europæis regnis, non parum exinde ad Principum æra-

raria accedit emolumentum. Atque hæc de
Herbæ Nicotianæ descriptione & natura bre-
viter dicta, sufficiant; nunc superest, ut in
orbitam revertamur, ac sequentem sectio-
nem à principalioribus Tabaci qualitatibus,
ejusque recto usu ordiamur, & conclu-
damus.

SECTIO II.

Herbæ Nicotianæ Qualitates in ge-
nere & in specie, ejusque fumationis ac
pulveris usum exponit.

§. I.

Quantum ex spagyrica Herbæ Nicotia-
næ seu Tabaci analysi, varijsque Me-
dicorum experimentis hæctenus expiscari
potuit, generaliter in ea distinguenda ve-
nit, duplex particularum compositionem
Tabaci materialem ingredientium diffe-
rentia.

Primò enim particula salina volatiles
acerrimæ, ac naturæ specificè *acida* sunt,
cùm recens herba trita, saporem subama-
rum & acuté penetrantem, piperinum quasi
repræsentet: ab his dependet vis summè
irritativa partium fibrosarum ac nervosa-
rum, hinc est, quod fumi tantillum inspi-
ratum, ac cum saliva simul deglutitum, fi-
brasque ventriculi irritans, tantos excitet
vomitus & enormes dejectiones; quod e-
tiam

tiam fit , si tantillum Tabaci masticetur , ac cum saliva deglutiatur ; etiam externè applicatum vomitus ciere , habet *Willisius* , in *Pharm. rational.* Ex infuso in spiritu vini , paratur Essentia fortiter vomitoria : melius tamen paratur cum dimidio nitri fixi , prout eam insinuat *Ludov. Pharm. p. 501.* vel cum alcali tartari quod virulentiam ejus multum corrigit. Observari merentur , quæ hic annotata habet *Lemery* , in *sua Chymia* pag. 528. hic recipit Tabaci boni minutim incisi unc. viii. affundit aa. phlegm. vitriol. digerit in cucurbita vitrea , arenæ calidæ impositæ , per diem & noctem destillat unc. v. & asservat seorsim hunc liquorem : est vomitorium insigne ; hic liquor datur â zij ad ʒvj. Residuum hujus decocti , per retortam , igne aperto destillatur , & obtinetur phlegma , oleum nigrum , & spiritus ; olei hujus ʒi cum unc. ij pinguedinis mixta , egregium est in scabie remedium. Est etiam oleum hoc Tabaci tam potens vomitorium , ut , si aliquamdiu nasus admoveatur phiolæ , in qua asservatur , vomitus superveniat. Violentos olei Tabacini effectus in varijs animalibus , videbis in *Har-deri Apiario* , observ. 1. usque ad 7.

A dictis particulis salinis , dependet vis ejus aperitiva , resolutiva , incisiva , fordium viscidarum expectorativa , item emetica & pur-

purgativa ; cùm sit unum ex vehementif-
simis purgantibus ; hinc est , quod in Asth-
mate humoroso , Orthopnœa , tussi humi-
da , & similibus affectibus , ex muco crasso
viscido & mucilaginoso , pulmonum tubu-
los infarciendo , abortis (*Wann sie stat et
röchelen*) pro muco hoc eliminando , i-
tem purulentis pulmonum extergendis ,
infusum ejus per digestionem probè para-
tum , item syrupus , oxymel ejus &c. medi-
camenta sint expectorantia ferè sine pari ,
& quasi divina remedia ; sed attenden-
dum est , ut legitimè sint præparata , per
crebras purificationes & repetitas infusiones ,
sic enim domatur Nicotianæ vis nimium
purgans & vomitoria . Unde expertus est
syrup. & oxymel à *Petro Quercet.* quæ
duæ compositiones sunt efficacissimæ in
humoroso Asthmate : sic etiam *Aqua de-
stillata* ex folijs Nicot. commendatur à
Fabro in Asthmate , quæ aqua mista cum
succo nicotianæ , per residentiam probè de-
purato , additis aliquot guttulis olei seu
spiritus sulphuris , uti vult *Langius* , erit
egregia in Asthmate . Pariter quoque à
dictis particulis salinis provenit , quod Ni-
cotiana masticata , sit potentissimum Apo-
phlegmatizans , copiosissimasque excitet sa-
livationes , sale suo volatili acri & penetran-
te , penetrando in vasa excretoria glandu-
la-

larum salivalium, easque irritando. Hinc sunt nonnulli, qui Tabacum infundunt spiritui vini, ac exinde parant *extractum*, quod pisi magnitudine linguæ impositum, osculaque vasorum salivalium vellicando, magnam pituitæ ac salivæ copiam, per os educere solet. Ubi tamen omnino cavendum est, ne vel minimum ejus in stomachum deglutiatur, secus enim vi narcoticâ caput stupefacit, adeò quidem, ut omnia rotari tanquam ebrijs, videantur, & hinc vomitus & secessus vehementes provocantur: uterque effectus, tam narcoticus ex oleo resolutò, quàm apophlegmatizans ex sale volatili acri, manifestus est in ejus fumo per tubulos hausto, de quo infra. Aliàs & in herba arida sal hoc reperitur & oleum, & quidem acrius ac exaltatum, quia per putrefactionem, præparationem ejus antecedentem, sal volatile acre nonnihil separatur ex concreto misti, & longè fit acrius; per putrefactionem enim *Spiritus urinosus* & *salvolatile* optimè eliciuntur. Econtra, in planta succulenta recenti, vires magis temperatæ sunt, quia sal ejus volatile ab humido temperatur. Præter has verò particulas salinas penetrantissimas, considerandæ etiam sunt

Secundò particulæ oleosæ sulphuræ non adeò maturæ, sed adhuc perquam crudæ &

& fumosa, quæ celeri passu totum perambulans corpus, spiritusque ita obnubilant, eorumque impetum elasticum ita compefcunt, ut summus torpor, ac stupor narcoticus, totum corpus excipiat: cujus intuitu, Nicotiana species quædam Hyoscyami, cui neque cedit, esse videtur; hinc est, quod, qui ejus fumo utuntur, plerumque somnolenti sint, imò, qui eodem nimium abutuntur, stuporem mentis, aliæque corporis mala contrahant, uti in sequentibus, de ejus abusu, plura audiemus. Vim hanc stupefactivam, non tantùm sub formâ fumi exserit, sed & externè usurpata, eandem patefacere solet, cùm in enecandis pediculis capitis, & curanda tinea, capiti applicata, ægros stùpidos & quasi ebrios reddit, nisi summâ cum cautelâ adhibeatur. Hinc etiam in quibusdam locis *unguentum Nicotiana*, prostat, quod expertum est contra pthyriasin, sed periculosus est ejus usus, unde ut dixi, cautelâ opus est, quia exinde infantes, monente *le Febvre*, propter virulentiam, plerumque in cardialgiam & syncopen incidunt, stùpidi ac quasi ebrij fiunt, & supra & infrà purgari solent. Moderni, præprimis Angli, clysmata ex fumo Tabaci, in passione iliaca convulsiva, & obstructione alvi, affectibusque flatulentis applicata, tanquam præsen-

ta-

taneum remedium recommendant , non tantum dolores sistendo , sed & alvum laxando : vid. *Bartholinus, centur. 4. Epist. 92. & in hist. anat. cent. 6. obs. 66.* ubi modum & instrumentum , quo sine noxa & molestia applicatur , describit. Porro propter vim ejus anodynam , & nervinam , est , quod in ore detenta , aut masticata , dolores dentium ab acido oriundos , sedet , vi narcoticâ sensum doloris fallendo , & per copiosum fluxum salivæ , acidum in radice dentis rodens , â sale volatili Nicotianæ prius concretum eluendo : vid. *Riveri cent. 4.* Item , quod folia contusa , non secus ac hyoscyami , dolores alicujus partis affectæ sistant. Unde folia recentia , vel exsiccata noviter humectata commendantur , imposita auribus , contra otalgiam. In specie verò in cruribus œdematosis , & pustulosis , folia recentia , leviter contusa & applicata , extemporaneum sunt remedium.

Utrisque his particulis , tam salinis quam oleosis , excellentissimum præbet vulnerarium , in vulneribus inveteratis , ac ulceribus quibusvis & manantibus , modò non nimis malignis , etiam phagadanicis persanandis , ut & contusionibus : particulis enim salinis ea mundificat , oleosis verò eadem efficacissimè consolidat , ac dolores lenit : hinc recens planta , dum succo ,

sal volatile acré sulphureum temperante, ad-
 huc pollet & turget, etiam hujus succus re-
 cens expressus, vel decoctum, vel infusum,
 in vulneribus, ac ulceribus inveteratis, quod-
 vis chirurgorum Balsamum ferè antecellit.
 Sicut & ordinarium ingrediens est, Balsa-
 morum vulnerariorum & unguentorum,
 quæ applicantur partibus exulceratis: sup-
 purat enim egregiè, optimè mundificat, &
 ad sanationem producit; unde etiam in ulce-
 ribus, vulgatum Unguentum diapompho-
 lygos, malaxatur cum oleo Nicotianæ. Sic
 sola folia Nicotianæ viridia, contusa pauli-
 sper, manè & vesperi imposita recenti vulne-
 ri, sine ulcere curant, teste *Experientiss. Ett-
 müllero*, ut & ipsa ulcera tiliarum, satis aliàs
 curatu difficilia, item pedibus pustulosis si-
 mulque œdematosis, hoc modo imposita,
 mirabiliter succurrunt: sic & in ulceribus fi-
 stulosis sinuosis; & ipsis fistulis laudem me-
 retur, ubi vel oleum ejus pro inunctione, vel
 malaxatione Emplastrorum, vel succus, tam
 per se, quàm in emplastris, vel decoctum,
 vel infusum pro lotionem & injectionem, satis
 est efficax; sic etiam succus Nicotianæ, cum
 pulvere exuviarum serpentum, per siphonem
 fistulis injectus, easdem mirabiliter sanare
 dicitur: alij recipiunt succum cancrorum
 fluviatilium, cum folijs nicotianæ, &
 pulvere exuviarum serpentum, & fistulis ac
 ulceribus fistulosis applicant, felici cum suc-

H cef-

cessu. Porrò in affectionibus cutaneis externis, scabie v. g. herpetibus, impetigine & admodum egregium est remedium Nicotiana, & quidem oleum per infusionem factum, & unguentum de Nicotiana: non secus ac ad cancrum multum conferre dicitur. *conf. Velsch. Hecatost. 2. p. 24.* Præterea quantum in Empyemate, sive ex pleuritide suppurata, sive vomica, sive vulnere pulmonum, ad materiam purulentam evacuandam, ulcusque consolidandum, valeat decoctum, infusum, syrupus, aliaque medicamenta ex Tabaco preparata, non satis laudare potest *Magnen. in suis exercitiis. & Epiphanius Ferdinandus in hist. Med. mir. 32 & 45.* Imò per decoctum foliorum recentium Nicotianæ, se quendam à morte præsentissima liberasse dicit. Verba ejus sunt hæc: *In Empyemate me nunquam deceperunt, semperque iis felici cum successu usus sum, vaporazione & decocto Tabaci, quibus mediantibus mira puris per tussim facta est excretio, idque continuando, sanati fuerunt.* Alias internè præterquam in affectibus pectoris, dispnoea, pleuritide suppurata, Athmate infantum, vulneibus & ulceribus pectoris, parum habet usum, propter vim emeticam & virtutem narcoticam, satis superque demonstratam.

In Tumoribus autem duris & scirrhis emolliendis, resolvendis & discutendis, præ-

tertium splenis & epatis, admirabilis est hæc
Herba, unde in *Zwveiseri Phar. Reg. edit.*
ult. pag. 312. prostat egregium *Emplastrum*
splenet. cujus basis est Nicotiana: quin & in
quartanis febribus, succus aut extractum ejus
lienari regioni applicatur non sine sensibili
effectu, unde quidam habent Emplastrum
contra quartanas ex Nicotiana, qui applicant
regioni renum, sicut *Helmont. tract. de feb.*
cap. 14. Quartanas per tale Empl. se curasse
asserit. Omnes autem hæcenus recensitas
qualitates *Ægid. Everhardus* sequentibus
comprehendit versibus:

Nomine, quæ sanctæ crucis herba vocatur. ocellis
Subvenit & sanat, plagas, & vulnera jungit,
Discutit & strumas, cancerum, cancerosaque sanat
Ulceras, & ambustus prodest, scabiemq; repellit,
Discutit & morbum, cui cælit ab impede nomen.
Calfacit & siccatur, stingit mundaturque resolvit,
Et dentum & ventri mulcet, capitisque dolores,
Subvenit antiquæ tussi, stomachoque rigenti
Renibus & spleni confert, uterque venena
Dura sagittarum domat, iustibus omnibus atris
Hæc eadem prodest, gingivis profuit, atque
Conciliat somnum, nuda ossa que carne revestit.

§. II. Perlustratis ergo plerisque Tabaci
tam inquam externè exhibiti qualitatibus,
tandem ad creberrimum fumi Nicotianæ, in
tubo accensæ ore attracti & redditi usum, e-
tiam progrediar; cujus origo ab Americanis
(qui in sacris primò, ob varias eorum su-
perstitiones & fabulas, deinde indiscrimina-
tim illo utebantur) principaliter derivatur,

referente *Magneno, Exercit. VI. p. 2.* Ad hunc fumi tabacini usum, utpote superstitio-
nibus immixtum, abhorrebant initio Hispa-
ni, ut ait *Francisc. Lopez de Gomora in Hist. Ind. Occid.* nihilo tamen minus, illum mo-
rem maximè in Europam invexere Angli,
postquam Virgineam detexissent, celeberrimam
que illius usum fecit *Francisc. Draeck*, infi-
gnis sæculi superioris Archinauta, qui etiam
omnium primus semen tabaci apportavit in
Angliam. Post Anglos, adhibuere Belgæ,
Hollandique, quoniam hæ gentes tunc ebri-
etati magis deditæ, sentiebant à tabaco turba-
tionem fieri mentis, supparem vino. 2dò
quia in navibus & mari vivere assueri, pitui-
tam congerebant, quæ ita evacuebatur. 3tò
quòd somnum conciliabat, brevem, profundum,
& reficienrem, si abundè fumeretur
sin parcè, reddebat ad excubias vigilantiores,
quod nostri pariter noverunt milites, qui ex-
cubias longiores acturi, Tabaci fumo se tan-
tis præmuniunt.

Quidquid sit, fumi tamen usum in Medi-
cina frequenter adhibitum fuisse, apud Me-
dicorum legislatores legimus. Sic suffitum
meminit *Hipp. in Aph. 28. Sect. 5. & 6. Aph. 59. Gal. com. Aph. 28. Sect. 5.* per uterum,
totum corpus suffiri posse pronunciauit. *Avicenn. lib. 2. Can. Tract. 2. c. 247.* fumi
usum, naturamque explicat, commendatque
in ulceribus oculi funeam thuris. *Hierodo-*

Tabacum Babylonios haurire fumum ad ebrietatem usque solitos, testatur *lib. 1.* hiantes fumum tussilaginis haurire jubet, *Diasc.* ad tussim siccam *lib. 3. c. 117.* Idcirco legitimum jam à 100. annis in Europam introducti, atque per experientiam approbati herbæ Nicotianæ fumi usum, certis in casibus è penultima Medica proscribere non licet: Quemadmodum enim Tabacum, ut ex dictis patet, sub varijs formis à practicis, tam inquam externè optimo cum successu applicatur: sic pariter quoque, ratione ejusdem principij jamjam nominati, sub forma fumi ore attracti & redditi, vulgò phlegmaticis dictis, seu etiam illis optimè conducit, quibus caput partèsq; vicinæ, ex quacunque occasione fucis chylosis & lymphâ copiosiori nutritivâ irroratæ sunt, seu qui sal volatile temperatum habent, multisque alijs affectibus narium & faucium, coryzâ, laxatione uvulæ, & similibus, qui inflammatione faucium & affectibus catarrhalibus infestantur. Nam vi narcoticâ, stimulum causæ externæ, lymphæ profusionem causantis, sistendo, ejusque acrimoniam temperando, uberiore effluxum prohibet, sicut ipsam lympham per spiritum copiosius promovendo, successivè partes capitis & faucium interiores, à nimia illuvie defendit. Præprimis autem *tabacum compositum*, sub *specierum diatabaci* nomine, catarrhosis commendatur, si nicotianæ

næ addatur succinum pulverifatum , mastix
 fandaracha , styrax , flores spicæ nardi , &
 quædam aromata , irrorenturque aliquot gut-
 tulus olei distillati anisi vel succini , item unum
 alterumvè granum camphoræ ; sic enim ejus
 usus capiti & catarrhalibus affectibus fumo-
 perè conducit : alij , qui habent serosum ca-
 put & lymphaticum etiam , cubebas addunt .

Celeberrimus *Willisius* Tabaci usum , præ-
 primis ejus fumationem in castris , maxime
 commendat , potest enim commeatûs ino-
 piam , quæ inibi frequens esse solet , supple-
 re , & milites laborum & periculorum minùs
 sentientes efficere . Morbis insuper castren-
 sibus , colicæ , diarrhœæ , ulceribus capitis
 & artuum doloribus apprimè medetur , tam
 præservando , quàm sanando . Quin & pe-
 stis præservativum & singulare curativum in
 fumo tabaci consistere , propriâ experientiâ
 ostendit *Diemerbrock* , *tract. de Peste* . No-
 tandum verò est , ut ad simplicem fumatio-
 nem Tabacum eligatur non nimis exicca-
 tum , instar papyri , & adulteratum , sed sub-
 humidum , purum & genuinum : optimum
 aliàs hoc tempore laudatur *Tabacum cana-*
ster dictum , vulgò *der Knaster-Taback*
 & *Zapffenbergense* , à suo fabricatore sic ap-
 pellatum . Interea hæc in genere , de herbæ
Nicotianæ in tubo accensæ , fumatione & usu ,
 compendiosè dicta sufficiant ; plura , qui de-
 siderat , vid. *Magn. & Neand. Tabacolog.*

§. III. Superest denique , ut pariter de moderno , & per totam ferè Europam usitatissimo, pulveris Tabaci per nares attracti usu, aliquid dicatur. Illius itaque pulveris, (quatenus adhibetur per nares) usui , ansam dedit plurimum necessitas & occasio : cùm enim experimento didicissent nautæ & milites, quibus ab initio frequentior fuit tabaci usus, eum pulverem sibi esse ptarmicon, illâque internarum nasi membranarum irritatione, exonerari caput; usu verò comodo, in nimiam consuetudinem, ut sæpius fit, degenerante, plerisque inutilis & superfluus, imò planè noxius evasit, uti infra dicemus. Non ignoro, inter medicinæ tutamina ptarmica recenseri, frustra disputat *Neander* , an sternutamentum cerebro possit prodesse, cùm, quos natura molitur motus, sui exonerandi causa, illi sint etiam à Medicina imitandi; constat enim, imitatricem naturæ medicinam, ut ait *Hipp.* proximis facilioribusque vijs, ad corporis partes expurgandas, uti debere, quare cùm proximum cerebri emunctorium sit nasus, eâ viâ commodè medicamenta derivantur. Sic nonnunquam non cerebrum modò, verùm etiam nasum ipsum, processusque mamillares esse nimis humidos, unde nec odores subinde percipiunt, nec ipsi à putredine alijsque malis satis sunt securi; ut taceam, quin & moderatus ac opportunus ejus usus, exsiccando superfluos humores visco-

sitatesque resolvendo , caput , ne morbis à
 pituita infestetur , præservet , illudque in se-
 renitate conservet , pituitâ mucoque exactis ,
 prudentiam siccitate inductâ acuat , odoratûs
 perfectioni sapius conferat , multum quoque
 contra frequentiore[m] spuendi consuetudi-
 nem , alijsque ejusmodi incommodis aver-
 tendis valeat : Nihilominus tamen circa pul-
 veris Tabaci usum quædam observari oport-
 rent. *Primò* quidem ratione electionis , ut
 potiùs nostrate , quàm Indico aut alio exoti-
 co , varijs rebus adulterato & corrupto , uta-
 mur. *Secundò* ratione præparationis , ut
 pulvis sit minutissimè contritus , & si opus
 sit , pluribus rebus , secundum Medici judici-
 um , ac circumstantias alteratus. *Tertiò* rati-
 one quantitatis , frequentia & temporis ni-
 mirum , ut mundo corpore , jejunos homo ,
 non improspèrâ utens valetudine , exone-
 rando caput , pulveris unum aut alterum gra-
 num per utramque narem assumat : dandum
 quidem est aliquid consuetudini , unde & ijs ,
 qui taliter assueverunt huic pulveri , ac fre-
 quentius eo in die utuntur , melius esset , si se
 continerent intra moderati ores limites , &
 ter tantum de die , manè jejuni , iterum jejuni
 ante cibum , & ante coenam sumerent. *Quar-
 tò* respectu personarum seu temperamento-
 rum , sic , qui sunt phlegmatici ita dicti , & se-
 rositatibus ac viscositatibus abundant , aut
 catarrhalibus affectibus valde obnoxij , pul-
 vere

vere Tabaci, moderatè tamen uti possunt; sed cavendum est, si cerebrum se per nares sua spontè exoneret, ne in suis motibus turbetur natura. Sic pariter etiam cerebro incalescente, ob inflammationis periculum, ab eo abstinendum, neque adhibendum in oculorum morbis calidis, ne major concitetur fluxio, directis ad partem affectam humoribus, neque ubi nares hæmorrhagiâ tentantur, quoniam eam magis irritat. Quas regulas, si quis observare studebit, utilem experietur pulverem, si verò negligat incommoda sentiet; sed ut non omnibus utilitas eadem, ita neque eadem incommoda, sed singulis sua, unum vel plura: optima etiam sic sunt comparata, ut in eorum usu moderato, bonitatis maxima pars sita sit. In aurea enim mediocritate, stat rerum omnium præteritium; præstat igitur in medicamentorum usu moderato subsistere, quàm limites transgredi, cum periculosa sanitatis labefactione.

SECTIO III.

Abusum Tabaci, & inde emergentia
sanitatis incommoda, ac damna
demonstrat.

§. I.

Quod præstantissima remedia aliquando evadant noxia, vel excessivè, atque inconsultò adhibita, vel temperamentis eorum, qui ijs utuntur, minimè convenientia, quo-

H 5 ti-

tidianâ constat autopsiâ. Res eodem modo se habet cum Tabaco, quod sanè præstantissimarum est virium herba: at quàm exiguè ejus usum, pròh dolor! plerique nunc temporis Europæi moderare sciunt, sciunt autem, quia volunt, sed propriam pretiosâ simul inveniunt sanitatis ruinam, volenti tamen non fit injuria. Etenim herba Nicotiana à nonnullis tantâ frequentiâ, tanto desiderio & furore passim assumitur, quasi unicum in rerum natura esset remedium, quod corporis humani prosperitatem conservare valeret, cum illud tanquam prætiosissimam extollant panacæam, ac quasi pro universali habeant medicina, quæ secundum ipsorum phantasmata, semper & ubique inveniret locum. Sic æstate, fumationem Tabaci usurpant ratione caloris, hyeme verò ratione frigoris; mox somnum avertere, brevi iterum illum conciliare, nunc sitim, nunc famem sedare, mox appetitum promovere debet, & nescio, ad quid phantastica illorum imaginatio, eos ulterius sit adhuc persuasura. Hæccine verò mala, & verè non laudabilis consuetudo est, quæ complures Europæos capit: ut taceam, *S. M. Magna Britanniæ. Regem. Jacob. testari, apud ipsos Americanos, tanquam hujus herba Autores, vix emptorem reperiri servum, qui se tabaco mancipavit: & tamen hi tabacophili Europæi non resipiscunt. Non est igitur quod miremur, homines con-*

tem-

temptis periculis, impensisque per mare, per terras, in remotas cursitare regiones, qui rara atque nova, (quæ in se non sunt spernenda, dummodo ritè & non excessivè adhiberentur) ex India utraque, & remotissimis terræ plagis quotidie nobis adferant; & quis dubitabit, cùm quandoque accidat, ut à veteribus quidam descripti morbi, in Europa infestent ægros, sed novis & inauditis comitatis symptomatibus, imò vel novi in Europa emergant morbi, quin, quæ Asia, Africa, America in Europam mittunt, sive Medicamenta, sive fructus edules, aut novas delicias; omnia hæc seminaria sunt, aut fundus nostræ calamitatis. Propterea tamen nullatenus ipsi Tabaci usui quidquam derogare intendo:

*Ne fortasse putes, me quæ facere ipse recuso
Et rectè tractant alij, taxare malignè.*

Imò salubre esse medicamentum Tabacum, non diffiteor, methodo tamen medendi non neglectâ usurpatum; periculosum enim dundaxat præsentis sectione oppugno abusum, ipsisque Architabacophilis, damna exinde emergentia, quæ sibi met ipsis accersunt, repræsentabo sequentibus.

§. II. Orientalis Imperij Tyrannus, *Amurathes IV.* edicto, gentis more, ferè semper capitali, cavit, ne quisquam fumo Tabaci uteretur, veritus, ne ob illius abusum steriles nancisceretur subditos. *Jacobus VI. Magnæ*

guæ Britannia Rex, in aliam devenit suspi-
tionem, fumo scilicet enervari subditorum
suorum corpora; hinc manifesto illud odio
prosecutus, dicitur, libellumque etiam scri-
psisse, cui Mysocapnon sive *odium fumi*, ti-
tulum dedit. Illos, complures alij Europæ
Principes, hoc prohibendo subsecuti sunt:
sic contigit semel, Principem quendam sub
magna Pœna, certo in casu prohibuisse pul-
veris Tabaci exhibitionem, contra quod
mandatum, quidam sequentem in civitate il-
la dispergebat pasquillum, & quidem ex *Job*
mutuatum: *Potentissime Princeps, contra*
folium, quod vento rapitur ostendis poten-
tiam tuam, & stipulam siccam persequeris.

Celeberrimus *Hoffmannus lib. 2. de Med.*
offic. Cap. CXI. p. 327. testatur, publicè in
Oxonienfi Academia disputasse contra hunc
abulum, ostensis exemplis eorum, qui la-
borassent quidem diu insanabilibus pectoris
morbis, delirijs, insomnijs, convulsioni-
bus, &c. post mortem autem inventum fu-
it, eos pulmones habuisse totos nigros, ac
retorridos, non secus ac si fumo indurati es-
sent. Idem *Hoffmannus* audivit à militibus
in Belgio versatis, vidisse se dissecta capita eo-
rum, quibus *patera cerebri*, ab Anatomicis
sic dicta, tota interior esset nigra, licet per
carnificem interiissent. Audivit etiam à pa-
tricio Norico, qui in bello Bohemico viderat
omnes, in conflictu ab hostibus interem-
ptos,

ptos, Anglos nigricans habuisse cerebrum.
 Hinc discant sapere (*Hoffmannus* inquit) qui
 sapere aliàs nolunt. *Quin & Nardus An-*
ton. Rechinus lib. v. rerum Medic. Novæ Hi-
span p. 174. observavit, quod ij, qui auxilio
 Tabaci frequentius, quàm deceat, uti affue-
 scant, reddantur decolores, linguam gestent
 squallidam, & palpitans guttur, Epatis ardore
 afficiantur, ac in cachexiam atque Hydro-
 pem lapsi, morte tandem obeant. Revera
 ergò omnes similem abusum instituentes,
 egregium pessimæ suæ consuetudinis, præ-
 mium auferunt. Sed hoc ipso etiam patet,
 quod nimio hujus fumi abusu, cerebrum
 contabescat, & arescat, indeque functioni-
 bus animalibus, præsertim memoriæ valde
 oblit, unde, qui nimium hoc fumo utuntur,
 ob suum sulphur narcoticum tandem fatui
 redduntur: fit hoc, ut supra monitum, pro-
 pter successivam lymphæ, & hinc nutrimen-
 ti cerebri roridi exhaustionem, cum post e-
 vacuatas lymphas serosas, ipsum nutrimen-
 tum partium roridum colliquefacere, & ita
 sub forma seri evacuari faciat Nicotiana.

Ejus ergò abusus non tantum cerebrum &
 caput infestat, verum etiam, ut dictum pul-
 mones afficit, quos torridos facit, maculif-
 que varijs, imprimis lividis & nigricantibus
 defædat, confer. *Barthol.* tract. de pulm. p.
 9. cent. 3. Epist. p. 371. *Schneider.* de catarr-
 his l. 2, p. 265. *Horst.* in Manud. ad Med. p.
 371.

371. *Tulp.* 1. 1, C. 6. *Lindan.* in Med. phthys. C. 61. qui omnes varias habent experientias vitiorum pulmonum, ex suffitu Tabaci attracto: Unde non mirum, si tales ad phthysin, contabescentiam, atrophiam, & anhelitûs difficultatem inclinant.

Stomacho verò nocet, si statim à pastu hauriatur, fermentum ejus obtundendo, & concoctionem turbando, hinc cruditates valde augentur, unde nil nocentiùs, quam si post pastum Tabacum hauriatur: cavendum igitur, ne à pastu assumatur, & addò, ne nimius sit ejus usus, veluti quidam, referente *Thonero, observ.* 3. lib. 2. p. 103. constituto sibi pretio 200. imperialium, intra breve temporis spatium 300. fistulas ordinarias exhaustit. Aliàs mille malis aperitur via, inter alia notabile est, quod recenset *Grembs, in arbore integra & ruinosâ*: quendam ex nimio Tabaci usu, in Apoplexiam incidisse; cum quo conferatur *Kerkringius, Barbette* cum notis *Deckeri*, & alij.

§. III. Multi quidem tecto Tabaci pulverisati usu, non mox sub initium, sed inductâ vitiosa consuetudine, contractoque ex post habitu, tantam hujus pulveris quantitatem assumunt, ut etiam quidam, referente *Chryf. Magneno. in suis Exercit. de Tabac.* unicâ die pulveris Tabaci optimi unc. iij. seu lotones sex, naso suo perdidit. Imò plurimis nunc temporis ista prava consuetudo, fecit
can-

eandem ferè cum aëre necessitatem ; alij verò solâ imitatione, quæ autoritate trahitur, ad eam rapiuntur labem. (nullum enim potentius vinculum hominem ligat , quam Exemplum & Autoritas.) Sic etiam nonnullis, cum ad eos accedant, quibus arridet, sequè possunt in exigua re ostendere liberales, occasio utendi fuit. Ast audiamus celeberrimum *Pechlin. l. b. 2. obs. xi.* de Tabaci pulverisfati abusu argutè discurrentem, dum inquit : Quæ illa intemperies, sic perpetuè nares pulvere illo vexare, ut inter salutatio- num officia, atque impotentium cœnas, de- esse aliquid ad humanitatem videatur, nisi vel turpi viro stillaverint, aut futilis misturæ inspiratio , horridissima sternutantis voce prodatur ? quemadmodum verò nihil salubre est, quod consuetudine in naturam tran- sit, ita nihil juvat, frequentatum omnibus horis sternutandi desiderium, quin necessa- riam illam ad sensorij tonum custodien- dum , humanitatem penitè expellit. ju- stamque proportionem infringit, adedque non Hispanis tantum Italisque, sed & Germa- nis irascendum esse puto, qui ridicula æmu- latione, ut semper in ista nimia sunt, quic- quid ad partium tutelam requiritur, humi- dum exsiccant, non sine capitis manifesto damno. Matutinus certè, ad purgandum cerebrum impetumque spirituum provo- candum, nihil isto remedio utilius, de die
 „ au-



„ autem, nisi obtusum est cerebrum & hu-
 „ more inundatum, supervacua illa cura,
 „ nam lucis mobilitate, corporisque agita-
 „ tione, quod reliquum est humidi, facile
 „ excutitur, ne quis temerè pro futuro aliàs
 „ remedij usum profanare sustineat.

Volunt quidem nonnulli, jugi usu pulverisati aut
 sternutatorii Tabaci visum acui, sed quanto cum pe-
 riculo hæc medela sit, sæpe laudatus Jo. Chrys. *Magn.*
Exercit. 8. de tabac. testatur, se vidisse nonneminem,
 cui infanus hujus pulveris usus crystallinum corruga-
 vit hamorem, unde & fluitantia cernebat objecta.
Quin & idem eodem loco refert, sternutamento violenti-
us agitato capite, disrupis que eo impetu menyngi-
bis, laxatàque cerebri compaginatione, nonnullos
interijisse: quam suam sententiam ibidem exemplo,
*pistoris Saburrani *Famianus strada* meminit, confir-*
mat, cui cum 24. sternutasset, continuè succedens
proximè sternutamentum vigesimum quintum exitio
fuit, disruptis nempe arteriis, & membranis cerebrum
circumcingentibus. Pariter quoque ex ipso Tabaci
pulveris excessu, odoratus ablatio, membranarumque
& nervi odoratorii exsiccatio, atque obduratio, pro-
cessuum mamillarium, tabes oritur: quoniam meatu-
bis aut foraminulis ossis ethmoidis, à pulvere Tabaci
obduratis, fieri nequit, quin necessariò olfactus inte-
reat, cum membranæ spiritusque in nervis undulan-
tes, objecta odorabilia recipere non possint. De hu-
*jus verò abusus incommodis, vid. *Petr. Borell. cent.**
*3. hist. 45. & *Schneider. de osse cibrifor. p. 400. Fabrit.**
Hildan. cent. 1. observ. 8. cent. 5. observ. 1. & com-
plures alij AA. Cæteroaquin quilibet prudenti suo se
regat judicio, oblectet se, si lubet, quotidie Tabaco,
non cesso tamen exorare illum, ut semper meminerit
*illius: *laet anguis sub herba.* Quæ omnia de medici-*
mali Tabaci, sive usu sive abusu intellecta volo.

F I N I S.

)
 z, in Med
 abent exp
 : fuffiu T
 n, fi tales
 ophiam, &
 at.
 t, fi statim
 us obtund
 , hinc crudi
 nocentius
 uriarur: ta
 atur, & ad
 i quidam,
 2. p. 103.
 erialium, in
 ftulas ordi
 lis aperitur
 recenlet Gre
 sa: quenda
 oplexiam
 kringius, B
 alij.
 ecto Tabac
 nitium, fed
 ontractoqu
 ulveris qua
 am, referen
 cit, de Tab
 ni unc, iii,
 erit. Imo
 a confueca

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Red	Light Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Red	Dark Gray

TIFFEN Gray Scale © The Tiffen Company, 2007

A 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

R (Red)

G (Green)

B (Blue)

M (White)

W (White)

G (Gray)

K (Black)

C (Cyan)

Y (Yellow)

B (Magenta)

M (Magenta)